

Anno 1487. datas. (g) Cives Zvvetthalenses in Austria Laurentium Stegerum in instrumento venditionis testem citarunt sub Annum 1515. (h) Margaretha, Sebastiani Woitich de Enzersdorff filia Balthasari Steger in matrimonium promissa est Anno 1530. (i)

(a) Archivum Statuum Austriae num. 2361. (b) Ibi num. 2386. (c) Ibi num. 2471. (d) Ibi num. 2516. (e) Ibi num. 2629. (f) Ibi num. 2909. (g) Ibi num. 3263. (h) Ibi num. 3576. (i) Ibi num. 3730.

CAPUT LVI.

COMITES DE SCHERFFENBERG.

DE Origine & Incrementis Illustrissimæ Scherffenbergiæ gentis fusè commentari supervacaneum foret, cum satis jam multa Clarissimi viri Lazius, Henningius, Spenerus, Bucelinus & Schönlebius scriptis immortalibus suis complexi de ea sint. Dabimus igitur Documenta saltem aliqua hucusque nondum in lucem producta, quæ Georgio Sigismundo Comiti à Gallenberg in acceptis ferimus, addituri deinde ex instituti ratione quæ de hac antiqua Stirpe in Publico Statuum Austriae Archivo literis consignata inveniuntur. Wilhelmus & Ulricus Fratres de Scherffenberg memorantur in sequenti diplomate de An: 1274. Conradi Abbatis Sitticensis, celeberrimi Carniolie Monasterii. (a)

*Nos Frater Cunradus dictus Abbas & Conventus de Sittik, tenore presentium protestamur, quod cum Viri Nobiles, Dominus Wilhelmus & Dominus Ulricus Fratres de Scherffenberg, Nobis & Monasterio Nostro Lesiones ac damna magna indebitè intulissent tandem inspiratione divina commoniti contulerunt Nobis quinque mansos & dimidium sitos in loco qui dicitur Hollenbrun in recompensationem dictorum damnorum perpetua possidendos, Nos quoque precibus eorum inclinati relaxamus eis pure, quicquid contra nos absque Justitia deliquerunt, ita videlicet ut à Lesione nostra & hominum nostrorum decreto debeant abstinere, quod & ipsi se facturos publicè promiserunt flexis genibus ac positis manibus super altare Virginis gloriosæ. In cuius Rei testimonium literam hanc, ipsis concessimus, Sigilli nostri munimine roboratam. Testes vero sunt Frater Cunradus Prior, Colomannus Cellarius, Joannes Subjectarius, Cunradus Subprior, Wernherus Infirmarius, Henricus Portarius, Henricus Camerarius, & totus Conventus Monasterii Sitticensis, actum in Sittik in Domo Abbatis, Anno Domini M. CC. LXXIV. XIV. Kal. Martij.*

N n 4

Eo